



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio XXXI. Dom. VI. post Pent. Auri sitibunda Xantippe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)



CONCIO XXXI.

DOMINICA VI. POST
PENTEC.

Misereor super turbam. Marc. 8.

Auri sitibunda Xantippe.



nter Attributa Divina, ut alibi probatum est, nulla quidem realis distinctio, nulla datur differentia AA. Deus ex se immensus, infinitus est, nulli ævo, nulli temporì affixus, sine principio, sine fine, ab æterno in æternum; *neque aliud*

(1) S. Aug.
in Ps. 101.
(2) Escli.

Dei sunt, & ipse Deus, ut loqui solet (1) Aug. *anni Dei æternitas est Dei; æternitas Dei ipsa est substantia Dei*. Sic infinite sapiens est, infinite bonus est, ut Sirach (2) meminit *omnis sapientia à Deo est, & cum illo fuit semper, & est ævum*.

A.
Inter at-
tributa Dei
aliquem
habet pri-
matum Mi-
sericordia.

Vis ac virtus ejus iterum infinite magna est, infinite potens est. Omnia potest, quæ vult, aut velle potest, excepto peccato & illis, quæ actu contradictionem involvunt, ut montem sine valle producere, quod in terminis implicat: hæc si posset, seipsum ac summam Bonitatem suam destrueret, cum malo summo summum Bonum misceretur, & summa

(3) La. 1.

Veritas seipsam mendacii redargueret, quorum neutrum somnari potest de Deo. Hic locum semper habet illud (3) Angeli Caduceatoris è cælo in terras ad Virginem ablegati *non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Verba De facta sunt. Una voce *fiat olim cælum ac terram ex nihilo in hanc lucem produxit: fiat lux, & facta est lux. Fiat firmamentum & factum est ita. Fiant luminaria*

firmamento caeli, & factum est ita &c. Sic de omnipotentia Dei sacer Codex (4) loquitur. Adhæc Deus etiam infinite justus est; hinc Pfalteres Regius (5) exclamat: *judicia tua abyssus*, sine fundo, sine termino. Quidquid tamen sit, hæc Dei attributa ita sunt æqualiter infinita & sibi mutuò innexa, ut amen hæc inter quali primas ferre videatur *Bonitas Dei, Amor Dei, Misericordia Dei*. Ratio hujus est, quia hanc præ aliis terræ spectandam exhibet & adorandam. Id in Deo pridem agnovit Vates (6) Regius; hinc voces illæ: *suavis Dominus* *Universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*. Idem palam S. Mater Ecclesia testatur verbis illis publicè decantatis: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere*. Hoc misericordiæ Divinæ attributum Vitæ sunt modò quodam peculiari pensare & amplecti omnes tres in Deitate Personæ.

(4) Gen. 1.
(5) Ps. 35.

(6) Ps. 144.
B.

Hoc misericordiæ prædicatum præsentare videntur omnes tres Personæ in Deitate.
7) 2. Cor. 12.
(8) Col. 3.

S. Paulo (7) hunc titulum signatè distavit DEUS Pater; *Pater Misericordiarum & DEUS totius consolationis*; læo nos ad parem Virtutis hujus cultum Tharsensis Orator eximulavit: *induite (8) sicut filii DEI electi & dilecti viscera misericordiæ*. Scimus, quid receptum sit inter ætate tenellos infantes; quò magis hi patri suo assimilantur, eò majori charitate à patre suo foventur. De hoc majori amore Divino certi sunt omnes illi, qui se Divini Patris exemplò Misericordiæ actibus & charitatis operibus studiosè impendunt; cum tamen alii omnes misericordiæ hujus expertes tanquam filii spurii & laterales à Divina charitate modicum participent. *Verbi Divini, filii Divini Divinam Misericordiam suspicimus?* Ah! quid aliud tota ejus vita extitit, quàm perennis Misericordia? Qui venit omnes salvos facere, omnes animas cœlo lucrari, etiam in corpora viribus per morbos exhausta misericordiæ suæ fluentia effudit; qui nos Cibò instruxit Angelicò ad vitam, omnibus etiam corpore famelicis vitæ temporalis media ubertim suppeditavit, si modò vera cum fiducia fores pullatæ sunt Divinæ. Patet id abundè hodierno ex actu, quo prodigiosè quater mille cibavit, Dei gratia jam prolixum iter ementos, & viribus fractos alleclas: *miseror inquit ipse super turbam; jam triduo sustinent me, nec habent, quod*

1. Pater.

2. Filius.

manducant; jejunos si dimittam, timendum fuerit, ne in vi-
deficiant. Nil dicam de peccatoribus, de peccatricibus,
magnò pariter numerò post vestigia CHRISTI profecti
de his enim in specie fufius agere constitui in proxima Tu-
Clement. paribus hiltoriis de infinita DEI Misericordia con-
cionatorium in morem instruenda, sicut modo in Tragica in-
finita illius Justitia ad peccatores à vitiis abstrahendos pro-
eitur. Premebant CHRISTI terram inambulantis vestigia
magnò numerò, infirmi, paralytici, hydropici, hectici &
dæmonibus miserè obsessi, energumeni. Sic ergò Animarum
Medicus, quamcunque viam capefferet, secum quasi probati-
cam piscinam circumduxit, quâ omnis lues ablueretur Ange-
lo duce. Inde quò ardentius etiam hæc corporalia Misericor-
diæ opera CHRISTI assæcla exercuerit, tanto plus grati-
sibi de CHRISTO pariter promittere poterit. Pari arde-
re etiam Spiritus Sanctus hanc Misericordiæ Virtutem pro-
quitur, ac liberaliter in quosvis dispensat, ideo *pauperum*
Pater & animarum Consolator salutat; quidni etiam in
gratiâ suâ illustret, qui prompta charitate pauperibus in-
currunt, eos contra odiò proscindat, qui misellos pessime in-
quent, emungunt, exsugunt, & in extremam pauperiem de-
volvunt.

C.

Homo ho-
mini Deus,
Homo ho-
mini dia-
bolus.
Illud per
misericor-
diam, hoc
per ava-
ritiam ve-
rificatur.
(9) Pf. 81.

Latini duplex habent proverbium; utrumque suam pe-
riphrasin meretur: primò dicunt, *homo homini Deus est*, alio-
rò, *homo homini diabolus est*. Sensus est: homo erga vicin-
suum sæpè personam egit junioris Dei, sæpè etiam partes
diaboli. Nos hunc in modum præsens oraculum explanemus.
Sæpè homo alteri homini esse videtur DEUS, sæpè diabolus.
unde hoc? exhibeat alteri misericordiam? tanquam terrestris
Deus passim coletur, cui proprium est misereri; sibi adeò pa-
rem Divinitatis titulum vendicant misericordes, ut non tan-
tum Altissimi, sed ipsi etiam Dii valeant salutari; quod non
pridem Pfalteres innuit (9) *Regius ego autem dixi, vos Dii estis*
& *fili Excelsi omnes*. Plinius risit olim Romanos, quod
ultrò tercentum Numina fabricarent; cum autem sanctius res
hanc excuteret, iterum eos laudibus extulit. Cur? sic etiam
providi Romani omnibus ac singulis viam monstrabant, quibus

ad usque immortalitatem eveherent, & Diis accenseri totis viribus collaborarent. Id maximè obtinetur, si afflictis & pauperibus Misericordia exhibetur. Huc omnes à potiori collimare nisi sunt Romani, & vel maximè Vespasian. Augustus; unde toto à Senatu conclusum, ei quoque suam stationem Deos inter determinare, quia nullum diem abire passus est, quo de pauperibus & malè pressis non benè mereretur. Hæc quidem gentilis est stoliditas, patet tamen ex ea, quò loco apud Ethnicos olim misericordia fuerit, locò nempe Divinò. Si ex Misericordia nobis nulla penitus misericordia substantialiter accrescat, quod fieri non potest, per hanc tamen Misericordiam ita extollimur, ut Deum à facie ad faciem coram arbitrari, & ex hac visione uberes delicias haurire valeamus. Hoc ipsum stimulo fuit hætenus millenis Christianis, ut se ultrò ad misericordiarum opera extimularent, quia nòrunt, proximum ad Divinitatis fruitionem gradum esse Misericordiam. Cùm Alex. V. Pont. Rom. præfens Evangelion meditando evolveret, dicitur sua oculus in pauperes distribuisse, hinc de se jocò dicere auditus: Cùm Episcopus essem, dives eram; factus Cardinalis, factus sum pauper, factus nunc tandem Summus Pontifex, totus sum mendicus. Imperatrix Placilla Theodosii Conjux, auditis pariter his verbis, *misereor super turbam*, tantos ardores misericordiarum pauperibus dispensandæ concepit, ut etiam pauperum casas irueret, leprodochia, & hospitalia reviseret, & singulis manu propria largam stipem erogaret. Non placuit hæc humilitas superbicentibus Aulæ palatinis, piam Imperatricem hoc ex capite suggilantes, ipsà verò insuper habitis mordacibus puncturis nihil uspiam deceptis Misericordiarum operibus remisit; expeditis omnibus hoc uno verè regali assertò impiam vulpinti-um procerum crisiñ evertit: *dignum est imperiò, pauperibus elemosynam elargiri*, quasi diceret, vobis nimium mucidis & jejunis aularum fungis nulla hoc in negotio fides haberi potest, quia manus vestræ nimis sunt piceæ; sic meis pauperibus vix tertia pars in elemosynam cederet. Rationes sic dandæ, calamus vester oppidò fidelis sc. nihilominus jaçtaret, tantum hospitalibus, tantum ad manus pauperum ex Imperio Casaris expensum, ubi sæpè vix obolus pauperes manus attingeret. Sa-
tius

D.
Fructus &
effectus
vorum ha-
rum: mi-
sereor su-
per tur-
bam &c.

tius ergo fuerit, & tutius, ut propria manu mea largiar, quam ut ea vestrae petulcitate, vestrae rapacitati committam; ita scio evidenter, Sacram elemosynam nulla sui parte mutilatam fuisse. Eadem verba, *miseror super turbam*, tam altum animo suo infixit Eduardus Anglio Rex, ut nec regio parceret thesauro; quid quid à mensa Regia redundabat, ocius voluit in pauperes disper- titi; cum autem tot cibandis non sufficerent residui cibi, hem ipsa argenteas lances & orbes Rex arripuit, easque in frustra commi- nutas pauperibus distribuit. Vidit hæc Aidanus Episcopus, Regi mensæ ab Eduardo admotus, mox ergo tanto misericordiae actu oblupefactus, manum Regis osculari cepit dixitque. *O! nunquam percat tam larga tam munifica & misericors Manus!* vim vota hæc habuerunt; cum enim post centum annos tumulus Eduardi recluderetur, notatum est, totum corpus in cineres dis- fluxisse, excepta manu illa salva adhuc & integra, quasi recens à corpore suo avulsa. Noluit adeo Deus membrum illud à veni- bus absumi, quò tot aliis in dies & annos firmata fuit vita. Divo Oswaldo Beatus Amedeus societur Saphojæ Dux. ad hunc mitte- batur ex Gallia grandis legatus, qui cum alia inter Ducem rogasset, quot canes venaticos haberet, risisse & dixisse fertur Princeps, se illorum sat grandem numerum habere, hos cum spectare vellet, in atrium manu duxit Legatum Dux, ubi duodecim grandes ta- bularum occupabant mendici convivæ, per Principem more solito cibati, his visis subintulit Amedeus, en hi canes sunt mei venatici, quibus statui cælos venari. Imò his Deum ipsum venatus est A- medeus, illorum precibus & ardentibus suspiriis ad usq; thronum Altissimi sublimatus. Ita non tantum in Amedeo sed omnibus aliis misericordiae patronis id proverbiorum (10) videmus expletum: *corona sapientum divitiis illorum*. Expendantur hæc in misellan- ino coronæ fabricabuntur, quibus Misericordia illorum in ce- lis coronetur, Hic autem S. P. Chrys. animadvertit, hoc saluti nullum gaudere posse, nisi cum Christo verbò dicat & factò, *miseror super turbam*, verba ejus (11) sic sonant: *expers erit omnis carne, qui non dixerit illud Christi, miseror super turbam*; imò quot quot hanc misericordiam tetris pedibus conculcant, nihil sanè su- ex barbarie quam æternum *ve* reportant. Misericordia blandi vultu excipiet post fata misericordes, dicetque, *venite benedicti*

E.
Manus
elemosy-
naria non
putrescit.

F.
Per pau-
peres ve-
lut canes
venaticos,
cælum imò
Deum ve-
natur Ame-
deus.
(10) Prov.
14.
(11) S. Chry-
sost. hom.
5. ad pop.

patris mei, percipite paratum vobis regnum (12) *esurivi enim, & dedistis mihi manducare; contra verò aeternum v. in barbaros & immisericordes pauperum ripaldos fulminabitur: ite maledicti in ignem aeternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Sic ergò in illis proverbium superiùs exenteratum verificatur: *homo homini diabolus*, sicut enim Misericordia pauperes ad usq; Deitatem sublimat, sic barbara & ferax immisericordia omnes truces tyrannos pauperum hostes in orcum præcipitat.

An rei hujus vivax testimòniùm desideratur? non procul hinc abeundum. Lustretur tantummodò Evangelicus Euclio (13) quem in orco sepultum memorat Script. quæ causa fuit damnationis hujus? Respondebit illicò (14) Aug. *pauperis ulcerosi, qui ante januam ejus contemtus jacebat, misertus fuisset, & ipse misericordiam mereretur.* Non ergò suas ob opes hic euclio damnationem incurrit sempiternam, sed quia opes suas arctè tenuit cistis suis conclusas, & nihil inde passus est pauperibus erogari. Nemo quærat, cur divites ægerimè salventur, ut facilius sit camelum per foramen acûs transire, quàm ut opulentus atria cœli subintret. Ratio evidens est. Nolunt obolò privari; hinc toties à se vacuos pauperes dimittunt, sed quò lucrò? ut nec illis ullam velit misericordiam post fata exhiberi justus Deus, sed tot fraudibus & usuris plenos in abyssum miseriarum sine misericordia præcipitet, juxta illud (15) *quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Augustinus ulteriq; hoc in divite animadvertit, non legi de ipso, quòd aliis sua mutilârit, quòd pauperes exslexerit, aut eos verbis crudis ac verberibus exceperit, quòd hodie multis crudioribus multis est in locis solenne, ita nec de ipso legi ait, quòd viduas presserit, quòd pupillos suis fortunis expilârit, quòd pauperum bursas eventilârit, & communibus elemosynis suum sic in lucrum abusus: *nihil horum* inquit S. P. (16) *de ipso memorat Script. erat quidam dives, verba sunt Script. sed de suo dives erat, induebatur purpurâ & epulabatur quorùdiè splendide; at vestes suas ritè solvit mercatoribus, sartoribus; gulam explevit, at nulla ideò nomina apud laniones, praxatores, hospites aut alios opifices contraxit; de suo solvit, non de alieno, quidquid vel in luxum vel in gulam expendit, quod ergò crimen ejus, pergit ulterius S. Pater, & tandem sic profatur: jacens ante januam ulcerosus, & non adjutus:*

Pp

propter

(12) Matth. 25.
G.
Væ illis, qui sunt avari & esse nolunt misericordes.

(13) Luc. 18.
(14) S. Aug. ep. 89.

(15) Matth. 7.

(16) S. Aug. Serm. 19. de verb. Ap.

H.
Probatur id per Euclionem Evangelicum.

propter hanc solam inhumanitatem, quã contemnebat pauperem mortuus est dives & sepultus est in averno; hic hic desiderat gratiam, qui non dedit micam, nonne accepit justam sententiam? concludit tandem totum hunc discursum Aug. sequenti epiphonemate: si hac ergo pœna est avarorum, quæ erit raptorum? quæ illis decreta fuerit pœna, qui non tantum nil pauperibus dilpescant, sed alios etiam ab his misericordiæ operibus impiè avocant, qui alios bonis suis defraudant, debita negant, protocollo transmutant; quod scio à multis sine ullo scrupulo lucri causã sapienter tentatum esse. His Euclionibus fortè nimis erat absoletum divitis evangelici adductum exemplum, horum ergo in gratiam recentius adducam, & ne Viri querantur, se perpetim tangi & taxari, auri sitibundam feminam, veri nominis Xantippen adducam, quam olim tam viris quàm feminis in exemplum proposuit S. P. Greg. Episc. (17) Turon. Philander à Sitenvvald (18) rara definitione mulierem circumscript. Quærit is, quid est femina? respondet, femina nihil aliud est, quàm *splendido luxu exornatum, fraudibus & dolis suffarctatum Animal*. Si ulli femina præsens definitio tribui potuit & accommodari, ea certè huic antea alias omnes aptetur, quam pròmit Gregorius, fuit utique hæc lamina mille fraudibus obsepta, quas tamen larvata pietatè probè novè palliare. Secularibus unà & Religiosis grandem rhinocerotis asinum affinxit. Colebatur passim tanquam DEO dilecta Oratrix, multi se precibus ejus devoverant, persuasi, se lucrum fecisset, scio quantum, si scirent, hanc Bertam pro ipsis rosarium deblaturaturam, terminum hunc nemo carpat; quidquid enim precum fudit Xantippe, felis instar murilegæ profudit, sine mente, sine animo, ad fucum hominibus faciendum, interim tanta auri & ingenti rabies præcordia cepit, ut varias technas easque sacras proculium augendi excogitaret; & nemo erat, qui præcatricis hujus Nonnæ fraudes olfaceret, nisi cum velut humi bos rueret fucum subitum repentinum. Cum videlicet, tanto in pretio preces effluas quas funderet, statuit sub prætextu exoticæ pietatis novis fucorum ora sublinere; alia inter finxit, se Divino ex instinctu læstinam visere, quam Deus suo fecit sepulchro insignem, unã quæ quot posset captivos elemosynis hunc in finem corrogatis battoræ tyrannidi subtrahere, firmiter decrevisse, omnes proin ac his

K.
Confirmatur recentiori exemplo feminæ hypocriticæ & avaræ.
(17) S. Greg. Turon. l. 1. de glor. MM. c. 106.
(18) Philander. spect.

2.
Hist.

gulos rogare, pro redimendis captivis subsidium aliquod charitativum peregrinaturæ committerent. Sic grande lucrum sperabat Xantippe, neq; eam spes sua fefellit. Ubiq; enim grandem pecuniæ summam Christiani contribuebant, rati sanctius opes expendi non posse, quàm si tam piæ oratrici femina transcribantur, pro tanto Redemptionis bono in Palæstinam transportandæ. At sint hæcenus vultu ad omnem modestiam composito, gestibus & sermonis pientissimi tractu ac precandi studio innumeros decepit, ita pariter hoc altu lucri causâ tentato magnò numerò sacros & profanos circumvenit. Collectam pecuniæ summam non in terram sanctam pertulit, sed clam domi suæ in suos olim usus sub terris deossam occultavit. Rarò profunt impiè parta: ideo neq; hanc Xantippen sua furta juvare poterant. Moram ex moris necebat lammia, prætere solita jam hanc jam illam rationem, cur se tam vasto itinere necdum accingeret. Noluit ultra ferre DEUS tantam hypocrisis & opum fraudulentam exactionem; vitæ filum Xantippe huic incidit, ut pateret, etiam in feminis verificari, quod pridem innuit (19) Psalmista: *viri sanguinum & dolosi non dimidiabant dies suos*. Extincta hac strige, Episcopi mandato in collectam Palæstinæ pecuniam seriò fuit inquisitum: quæsitum acriter ex filia ejus; ex qua tamen nihil poterat intelligi; clam enim mater omnia domi suæ infoderat; neque filia suæ fidebat, ne ab ætate ac sexu omnis secreti impatiente proderetur. Sic totam domum circuibant scrutatores, & excussis omnibus angulis tandem altè sepultum thesaurum in extima parte cellæ subterraneæ reperiebant. Noluit Episcopus de hoc iniquitatis Mammona quidquam sibi vindicare, noluit inde vel obolum egenis distribuere, sed eam, nec obolo summæ demptò, totam ut reperit, summa voluit sepulchro injici, & super infame mendacis femina cadaver jactari, dicens identidem tritam illam Script. (20) formulam: *pecunia tua tecum sit in perditionem*. Quid lucri hoc ex peculio retulerit, furentissimum lamentum per tres continuos dies è sepulchro perceptum detexit. Auditum inde multoties: *urit me aurum, heu urit me aurum!* ne verò tantum aures stygia voce percellerentur, sed ipsi etiam oculi miseriarum caperent experimentum, terrâ iterum eruta, se horridum spectaculum exseruit; visum enim est liquidum & candens aurum flammæ instar lucentis in os mulieris tanquam

(19) Ps. 54.

(20) Act. 8.

L.
Lucrum ex
mammona
relatum.

quam rivus ardens influere, hæc cum vocis horrifona appendice:
aurum sitiisti, aurum bibe. Ex quo facile colligitur, quò fomenta
 suas inter flammæ hæc sit Xantippe refocillata. Euclio Evange-
 licus non potuit guttam obtinere, ut fumantem linguam refrige-
 raret; hæc femina totum bibit flumen, & tamen sitis repressa non
 (11) Pf. 10. est, sed potius succensa; hic nempe locum habuit illud (21) psalmi-
 stæ: *ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*
 hic potus erit inexplebilis avari in æternum & ultra.

Sicut ergò per misericordiam superius adducti Deum assecuti
 sunt, ad usque thronum Altissimi feliciter evecti, & quasi Deifi-
 cati, ita modò pariter videmus, per immisericordem avaritiam,
 ubi pauperibus non tantum nihil erogatur, sed illis etiam quæ sua
 sunt, perfidè subleguntur, ut hic factum, exitium maturari sempiternum.
 Misericordia reddit nos filios Dei, imò Deus, Deique
 similes Spiritus, at immisericordia, seu inexplebilis avarities red-
 dit nos filios sathanæ, imò ipsos Sathanas, & spiritus sathanizan-
 tes. His omnibus malis ut maturè liberemur, execramur hodie
 barbaram & immisericordem avaritiam, & sanctæ charitati ser-
 vassimè affuiscimus, quâ miseros & afflictos mortales ex animo ample-
 ctamur, spe freti, amores illis exhibitos, Deum nobis postula-
 ta nostra illò gratiarum centuplò coro-
 naturum. Amen.

